

Hift: Antiqu: et. Graec: 125

In v. T. 908^c

DE FONTIBVS
HISTORIAE SYRIAЕ
IN LIBRIS MACCA B.
PROLVSIO

Q V A
AD AVDIENDAM ORATIONEM
SVB AVSPICIVM
PROFESSIONIS PHILOSOPHIAE
EXTRAORDINARIAE
D. III. SEPT. A. DIONYS MDCCXXXVI.
H. L. Q. C.
A SE RECITANDAM
OFFICIOSE PER AMAN TER Q VE
INVITAT
M. ERNESTVS FRID. WERNSDORFIUS
VITE B.



LIPSIAE 1796
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMI.

DE MONITRUS
ЭАІЯУ ГЭАІЯОТСІН
ВЛАДИМИРСКАЯ
БІЛГІЯ

AD AUDIENDA ORATIONEM
SAE VASILICIVM

ПРОФЕССІОНІСТІЛОСТОНІ

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ

АДІОНОСІЧІСТІЛОСТОНІ

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ

МЕРІСТАС РІД МЕРІСДОРФІС

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ

ДЕЯНІЯДІЯЯТКІ





erum aliquot a morte: ALEXANDRI M.
saeculis in Syria gestarum memoriam
constat cum insigni sacrae pariter ac pro-
fanae historiae vsu esse coniunctam *).!

Quod nisi vidissent litterarum et chrono-
logiae principes, qui in perpolienda Syriae historia studium
insunserunt, **) oppido abstinuissent a re ob pauca, vel

A 2 minus

*) Regum, qui post ALEXANDRVM M. in Syria regnarunt, fideliter
notata tempora describere ex vsu profanae historiae esse facile diffi-
cilebitur nemo, quod hac ratione Aegyptiorum, Romanorum, alia-
rumque, quibus se immiscet, gentium historiae mirifice emendantur,
sacrae autem historiae id conducere facile intelligemus si hoc
unum cogitamus, traditis adcurate ANTIOCHI M. et ANTIOCHI
IIII. rebus, DANIELIS prophetam c. XI. vbi fata Syriae praedixit,
multum lucis accipere, in quam pererudite commentatus est
HVMF. PRIDEAVX Connex. V. & N.T.P. 2. I. II. p. 173. vers. Titt.

**) DIONYS. PETAVIVS Doctr. temp. I. X. c. 43. IOS. SCALIGER.
de

IV

minus idonea adiumenta sane impeditissima. Nam, quum in antiqua historia numismatum et aequalium domesticorumque scriptorum fide tutissime procedatur, hanc si spectamus ducem, vel difficilem vel minus fidam proh dolor! habet Syriaca historia. Scriptores, ex quibus peti debet harum rerum cognitio, maximam partem sunt Romani, quidam Graeci, homines a Syria remoti nec idoneis subsidiis instructi, qui aliud agentes tantum Syriacarum rerum interdum meminere. Auctores autem libb. Maccab. et si certiora tradere videri possent, tamen, quia ubiuis admiscent historiolas, extollendae gloriae Iudeorum caussa tantum compositas, fidem suam, etiam quando alia narrant, dudum suspectam reddidere emunctioris naris hominibus. Numi Syriaci raro sunt obuii, adeo ut ad eorum regulam regum Syriae temporumque series exigenda spes vix adpareat. Quo factum est, ut quum superiori saeculo id tentaret IOH. VAILLANTIVS*) ipse mox fateretur, se ideo tantum composuisse opus, ut inde aliqui forte incitentur ad plura numismata conquirenda et ad lucem chronologiae Syriae nouam adfundendam.

Id nuper conatus est Cel. ERASMVS FROELICHIUS Ignatianus Sodalis et edito praestantissimo annalium Syriae

com-

de emend. temp. IAC. VSSERIVS Annal. V. T. Henr. NORISIVS de praefid. Syriae it. Epoch. Syromaced. Illustrauere praeterea hanc historiam THEOPH. SIEGFRIED BAYER in hist. Baetr. CHISHVL in Antiq. Asiat. REINERVVS REINECCIVS Famil. Seleucid. CAR. ROLLIN. hist. ancienne des Aegyptiens etc. Macedoniens, T. VII. VIII. IX. Symbolam quoque suam huc contulere commentatores in sacros libros AVGVST. CALMETVS in Comment. bibl. in LL. Maccab. HVGO GROTIUS alii, item scriptores Numism. HAYMIVS in Thes. Britan. LAVR. BEGER Thes. Brandenb et alii quos adducit cel. FROELICHIUS, jam adpellandus p. 6. et 7. Proleg. in Annal.

*) Seleucidarum imperii s. regum Syriae historia Paris. 1681.

compendiariorum opere *) multam apud omnes eruditos gratiam iniit. Nam maiori, in primis numismatum adparatu, quam ceteri, qui ante eum eiusmodi tentarunt, ad id accessit negotium, et ipsa cimelia *augustissimae Hung. et Bohemiae reginae*, quam vidimus nonsolum reportatis de hostibus vietoriis sed et summa in eruditos omnemque eruditionem voluntate insignem, ei patuere. Horum auxilio numismatum, quorum largam copiam in aes incisam sub finem libri aliquot tabulis exhibit, in primis nititur in annalibus Vir Celeb. horum beneficio penetrat, quo desperauere alii, in hoc vno tamen sibi indulget, quod spectat ad auctores librorum Maccaebaeorum, quippe quos adeo defendit operose, ut ad horum sensum saepius traxisse numos videatur. Quod, etsi facit Vir doctiss. pro religione sacrorum, quibus addictus est, tamen metus est, nisi, quid hac in re vani sit, docuerimus, is quibusdam error offundatur, quasi demuni side numismatum planum et euidentis redditum sit, accurate scripsisse et cum optimis scriptoribus probe conuenire librorum Maccaebaeorum auctores.

Itaque, quia nuper ad eruditum hoc annalium opus delatus fui, me non inutilem aut iniucundum laborem suscep-

A 3

pturum

*) Prodiit liber vere aureus Vindobonae 1744, fol. hoc titulo : *Annales compendiarii regum et rerum Syriae numis veteribus illustrati deducti ab obitu ALEX. M. ad CN. POMPEII in Syriam aduentum cum amplis prolegomenis inscripti honoribus potentiss. MARIAE THERESIAE Hung. et Bob. reginae dum sub ejusdem auspiciis in universitate Tyranniensi ex praelectionibus PRILESKY Soc. Ies. universam philosophiam publice propugnaret et cruce gemmata donaretur CAROLVS ESTERHASY de Galantha perpetuus in Frakno et quamquam eruditus auctoris nomen tunc praefixum operi non erat, tamen deinceps cel. FRÖLICHII nomine adparuit illud, et certatim eruditissimorum hominum, ut par est, plausum tulit. Laudatur liber in Leipz. gel. Zeitung ad an. 1745. N. 3. p. 26. recensetur in Novis Actis Erudit. mens. Sept. 1745 P. I. p. 481. it. in *denen zuverlässigen Nachrichten* P. LXXI.*

VI

pturum duxi, si, data hac scribendi opportunitate, quaedam de fontibus historiae Syriae in libris Maccab. praefarer. Pauca quidem in hac pagellarum angustia in eam rem dici poterunt, sed nec plura volo, qui maximos ex isto conatu fructus me retulisse existimabo, si quos maiori copia instructos ad limatoria consecienda inuitauero. Non mihi hic res erit de auctoritate libb. Maccab.*) in rebus ad salutem hominum aeternam spectantibus, non de fide eorum in historia Iudaica, tantum hos in profana Syriae historia minus idoneos fontes esse posse declarabo, et quia secus putat Cel. FROELICHIVS, deinceps sigillatim docebo, illustres quosdam locos, quos ille vindicare studuit nondum satis esse ab eo defensos.

Vix quidquam autem hoc in negotio rite suscipi poterit, nisi virtutes historiarum conditoris probe apud animum cogitamus. Recte autem requiruntur ab historico praecipue hae: vt in eo statu sit, quo possit scire verum. Censetur autem esse quis ea conditione, si vel omnino possibilis ei fuit veri cognitio, vel si necessario rei intelligentiam habere debuit. Altera virtus est, vt velit dicere verum, et talem putamus eum, si vel nulla ratio adest cur secedere debuisset a vero, vel si res ita comparata est, vt falsus esse haud potuerit. Quae si velis inuenire criteria, neceſſe erit, vt aduertas animum ad naturam rei, de qua narratur, an res facile accidere potuerit, et, an tale quid tunc accidisse, in se habeat aliquid verisimilitudinis. Mox personam scribentis species, vbi ad animum reuocanda erunt, quae aliunde de ea cognita habes et quo scribendi genere vtatur, num dexteritatis sincerique animi documenta

*) de auctoritate horum libr. v. 10. ALE. FABRICII B. Gr. I. III. c. 29. p. 748. it. CHRIST. SCHEIBLER Tr. contra canonicam auctoritatem libr. Maccab. Trem. Multa autem super ea re erudita habet S. Ven. 10. GOTTL. CARPOZOVIVS in Praef. P. III. Introduc. ad Libb. canon. bibl. V. T.

menta verbis edat, videndum. Porro cognoscas, quibus in rebus et qua ratione conformia recitet aliis optimae notae scriptoribus, et quomodo hi inter se conspirent. Denique exquiras, num res, quae narratur cum aliis haud negligendis rerum gestarum, quae hodienum superant, monumentis conueniat.

Haec in primis sunt, quibus innititur et suffulcitur omnis vis veritatis in historiis. Age igitur periculum faciamus et componamus quasdam narrationes ab auctoribus libb. Mac-
cab. traditas, ut exinde elucescat, num illi in historia Syriae vera prodant. Quamquam profecto illi libri non ab eodem auctore conscripti nobis esse videntur *); interim largiamur, quod fortasse vterque in confinio Syriae fuerit; adeoque omnino verum exquirere et cognoscere potuerit, si operam et industriam, quae par erat, adhibere voluisset. Tunc vero res adhuc in disceptationem venit, an voluerint verum dicere hi, qui vetustatis auctoritate inter eos, qui super sunt de Syriacis rebus si Polybium exceperis, sane eminent. Quodsi enim, quod dissimulandum non est, non nullis quoque in locis vera dixerunt; tamen hoc tantummodo tunc ab ipsis factum fuit, quum nihil illis commenti aut figimenti in promptu erat, quod ad gentis Iudaicae gloriam spectaret. Distinguendae igitur sunt περιστάσεις, resque ipsae, quae enarrantur, suis momentis ponderandae: etenim si agitur de gloriagentis Iudaicae, de eorum fide vehementer dubito; **) si de aliis

*) Nam differunt chronologia, quod alter Iudeorum, Syromacedonum alter epocham sequitur. Differunt ipsa scribendi ratione, et maiorem dexteritatem prae se ferre videtur auctor Libri primi, distincti denique sunt ipso narrationis habitu, dum alter non incipit, ubi alter desit.

**) Ita foedus et cognat. Iud. et Spart. item litteras Arii et Jonathae mutuas quae exstant L. I. Macc. c. 12. esse falso excogitatas omnem que

VIII

aliis rebus, quae ipsis non adeo curae cordique fuerunt, aliquid commemorant, simulque cum ipsis conspirant egregie alii fide digni scriptores, tum vera dicere potuisse confiteor.

Excerptamus exempli loco, et in conspectum producamus quaedam, ibi commemorata, facta, ipsorumque veritatem ad has regulas tanquam Lydium exigamus lapidem. Refert Conditor lib. I. Maccab. *) a Romanis Antiochum viuum fuisse captum. Quis hoc sibi persuadere possit, si vires illas, quibus pollebat Antiochus, mente secum pensaret? Sed euoluimus alios historicos, et an eadem referant, speculemur: sane silent de hac re probatissimi scriptores, POLYBIUS, LIVIUS, ceteri. Nonne hoc silentium suspectum reddit istum libb. Macc. auctorem? **) sed subuenire ipsis auxilio cel. FROELICHIVS studet, ***) et existimat, in POLYBIO multa desiderari; fieri adeo potuisse, ut inter illa etiam hoc esset. Deinde testimonio quoque ex epitome LIVII depromto, labantem auctoris huius fidem, erigere annititur. Diserte enim in hac epitome legitur: LVCIVM Seipionem, Antiochi victorem, confecto bello Asiatico, in ius vocatum esse, eam ob causam, quod *praeda cum Antiocho capta aerarium fraudasset*. Enim uero ipse litteratiss. FROELICHIVS ingenue confitetur, istud *cum Antiocho* etc. in quo omnis vis et robur probacionis nititur, tantummodo in duabus editionibus sic legi: ****) reliquos omnes habere *ex Antiocho*. Et profecto si nobis-

cum

que de iis narrationem ad gloriam Iud. effictam docuit frater meus GOTTLIBIVS in orgt. qua Prof. munus adiit Gedani 1744. in 4.: *De Cognitione Iud. et Spart.*

*) c. VIII. v. 8.

**) p. 32. Prolegom.

***) Medicinam adferre huic loco conatur AVGVSTINVS CALMETVS in Comment. ad h. l, et adscripsit haec: *ad eo se subiecit victori perinde ut reuera captus fuisse*, sed num calculum ea ferre possit interpretatione, alii videant.

****) in Basileensi 1539 et Parisi. 1552.

cum cogitamus, quam egregie haec res, si vera fuisset, Romanorum gloriam, cuius omnium audissimi erant, extollere potuisset: non videtur verisimile, ullum quempiam scriptorum, qui Romanas res persecuti fuerunt, in primis ex iis, qui copiose et ample enarrauere ipsas, tanti momenti rem silentio praeteriisse.

Sed proferamus aliud exemplum, quod nobis Auctor libri secundi suppeditat.*⁾ Narrat ille Iudam Asmonaeum, dum copias aduersus Gorgiam educeret, admodum graui milites oratione compellauisse, in memoriamque ipsis admirabilia Dei facta, quae patrum aetate obtigerint, reuocasse. Cogitarent, quanta strage affecerint Sennaheribum, et quod admirandum praelium ad urbem Babylonis commiserint, quo non adeo magna cohors Iudeorum, quippe non ultra octo millia virorum, auxilio diuino CXX millia hostium felici pugna superauerit. Certe haec res est prodigii simillima, et omni destituitur fide.^{**) Nam} etiam si adhuc discordant inter se eruditi, quaenam hic pugna intelligenda sit:^{**)} tamen nulla potest cogitatione comprehendti, imperatorem, quisquis demum ille fuerit, adeo exiguis copiis aleam belli et fortunae tentasse. Praeterea haec

*⁾ c. 8. v. 20.

^{**) HVMFR. PRIDEAVX existimat pugnam commissam inter SELEV-CVM CALLINICVM et ANTIOCHVM HIERACEM. Connex. V. et N. T. P. 2. p. 106. Frater meus GOTLIBIVS, qui luculenter hac de re disputat, defendit id de proelio ANTIOCHI M. cum Molone ad Babylonem commisso. Huic enim homini ob aetatem rebus gerendis immaturus prouincias commiserat, qui cum defecisset viatum ad mortem voluntariam compulit. De Republ. Galat. c. III. p. 139.}

X

haec commemoratio nullo alio corroborari potest testimonio.
Ipse Iosephus^{*}) istam Iudea ad milites adhortationem, copiosa
persequens oratione hoc prodigium prorsus omittit. Etsi
ingenium auctoris consideramus, statim ratio nobis patet,
cur haec tam magnifica, fideque maiora omni iactauerit.
Praeclare enim haec res inseruit gloriae populi sui, quam or-
nare ac condecorare, quacumque fieri potest, ratione enixe
studet.

Eandem igitur haec narratio fidem nobis mereri vide-
tur, quam illa fabula, quae apud auctorem lib. II. Maccab. **)
de Ieremia habetur. Fertur is plus quam Herculea vi, ta-
bernaculum, arcam et altare, per arma per ignes in ipsa di-
reptione vrbis exportasse, atque in spelunca quadam montis.
Nebo abscondisse. Mira sane res: praesertim cum ipso illo
tempore carcere conclusus detineretur Quare sunt qui
non multum se refragari profitentur, si quis integrum hanc
narrationem, ceu fabulosam, reiiciendam esse putet. ***) Sed
haec sufficere credimus ad probandum, conditores librorum,
qui Maccabaei adpellantur, etiam in iis rebus, quae Syriam
spectant, saepissime a vero aberrasse, multaque falsa et com-
mentitia suis inspersisse narrationibus.

Iam mens fert aliquot loca, quae Vir litteratissimus
Froelichius, magna cura ab omni errore ac falsitate purgare
studet, penitus considerare. Laborat is in concilian-
dis diuersis et contrariis illis narrationibus, de Antiochi
IV. siue Epiphanis interitu. ****) Primo Maccabaeorum
libro

^{*}) Antiquit. Iud. lib. XII. c. 2.

^{**) cap. I. 2.}

^{***) c. I. de rep. Galat.}

^{****) Pag. 37. Proleg.}

libro refertur, *) ipsum ultimo vitae anno Elymaida urbem ad exscoliandum ibi templum contendisse, post Babylonem commigrasse, ibique ex aegritudine mortem obiisse. Contra digna memoratu eius mors refertur, Lib. II. **) qua in itinere misera ratione occubuit. Lib. II. c. I. Maccab. Epistola quaedam Iudeorum Palaestinae ad Iudeos in Aegypto agentes exarata exhibetur, cui mox additur altera, scripta anno CL XXXVIII. aerae Seleucidarum, in qua posteriori narratur, Antiochum regem in templo Nanae apud Persas a sacerdotibus fuisse interemptum, quum illud templum depraedari, affectata cum Deae simulacro desponsatione tentasset. Quum igitur non commemoratur, quis ex Antiochis hic intelligatur, nonnulli de Antiocho Epiphane hoc interpretati fuerunt. ***) Hinc queritur PETRVS BAYLIYS, autores librorum Maccabaeorum ita iratos esse in Antiochum, ut eum tribus diuersis modis interficiant. ****) Arbitratur quidem Vir celeberrimus Froelichius,

B 2

*) G. 6. v. I.

**) C. 9. v. II.

***) In horum numero quoque est MATTH. PETIT DIDIER Monach. Bened. qui in diff. hist. crit. chronolog. in Sc. S. V. T. TVLLI Leucorum edidit diff. XIII. p. 221. multus est in vindicandis libris Maccab. Is quia pariter ista verba L. II. Maccab. c. I. de ANTIOCHO EPIPHANE intelligit, rem se confecisse putat, dum existimat milites Antiochi membratim discerptos fuisse in templo Nanae, ipsum ANTIOCHVM vero nihilo minus inde adhuc euasisse et paullo post Babyloniam profectum prae tristitia in morbum lethalem incidisse.

****) Nouvelles de la republ. des lettres Nouembr. 1686. art. I. ubi recensetur histoire du monde par Mr. Chevran. sp. 1243. Les Juifs ont souffert d'etranges persecutions sous quelques-uns de ces rois et particulierement sous ANTIOCHVS l'illustre. On remarque ici, que les livres de Machabees le font mourir de trois differentes facons 1) d'une cheute, qui lui brisa toutes les parties du corps et y causa une puanteur insupportable 2) al somme dans le temple de Nane

XII

lichius, quod in Epist. Iudeorum Antiochus Sidetes*) intelligatur, interim semper haec dubitatio residet, quod collatis inter se locis librorum Maccabaeorum, Antiochus tantummodo vna ratione vitam finire potuerit, aut Babylone aut in montibus, qui testibus JOSEPHO**) et HIERONYMO***) ad urbem Persidis Thabarum siti fuerunt. Rediit vero Babylonem; non potest fieri. vt mortuus sit in confinio Thabarum. Euidens igitur est, vtrumque hunc auctorem sibi ipsis contradicere, et exacerbandi et exaggerandi supplicii et mortis Antiochi gratia, a veritatis via prorsus deflexisse.

Cel. Froelichius quidem, vt medelam huic rei afferat, et expeditat illos scriptores, ad Graecum textum, quem neglectum alias non adhibet, confugit. Nititur in primis verbo τὸς αποστέψας quod ibi legitur; atque ipsum sic explicat: reuersum esse animo et conatu, non re. Refertur itaque τὸς αποστέψας ad conatum, sed sine illa probatione, et si tantummodo iter cogitauerit ad urbem Babylonis, neesse esset, vt supposititiae sint istae orationes, quae enarrantur ibidem breui ante mortem tempore ab ipso habitae. Quum tamen ipse sibi in hac re non placet, exquirit alias quasdam Thabas in Syria sitas, opinaturque, Antiochum, qui maxima celeritate in itinere faciendo usus fuerit et currum sine intermissione agitauerit,

Nane 3) de chagrin a Babylone, sur quoi on nous renvoie aux interpretes. Apparement ils n'ont pas assez insisté sur la principale cause de ces differences, qui fut sans la felicité des Juifs à croire que ce tyran fut puni et le plaisir qu'ils trouvoient à parler de sa punition. Rien n'est plus capable que cela de multiplier les recits d'une même chose. Exstat et in Oeuvres de Mr. Bayle T. I. p. 670.

*) Pag. 45. Proleg. in Aunales Syr.

**) Antiquit. L. XII. c. 9.

***) in IEREMIAM c. 25.

tauerit, facili ratione per urbem Babylonis in Syriam peruenire potuisse adeoque explorare Babylonem esse reuersum. Enim uero quum Iosephus et Hieronymus Thabas Perfidos urbem diserte appellat, certe non video, quemadmodum omnia haec ab ipso probari possint.

Antiochum Sidetem*) esse eum multa eruditione euincere studet **) Antiochum, de cuius Iudeorum vexatoris obitu laeti Iudei Palaestinae, missa epistola fratres Aegyptios tanquam de recenti casu certiores reddunt, et in templo Nanae***) quum connubia inire cum Deae simulacro in animo habuisset misera morte occubuisse, commemorant. Adfert vir vere doctus ad corroborandam opinionem nonnulla numismata, in quibus Antiochus Sidetes conspicitur anni vero CLXXXIII. et CLXXXIV. scripti sunt. Iam vero quum haec epistola Iudeorum an. CLXXXVIII. aerae Seleucidarum perscripta fuit: anni enim epocha ad alteram epistolam interpunctione arbitra codicum Graecorum refertur. Exinde argumentatur Antiochum ad an. CLXXXVI. forte esse interfectum, et propterea credit, id tandem verum esse mortis genus, quo periit Sidetes, quod in ea Iudeorum epistola commemoratur. Quamquam igitur, quod ad numismata et annos iisdem inscriptos attinet, facile assentior, eidem cum ipsi mihi beneficio consultissimi cuiusdam in hac vrbe viri complures ab Antiocho procusos numos oculis usurpare manibusque tractare contigerit, tamen duriusculum videtur, quum scriptorum de morte Antiochi Sidetis iam

B 3

fatis

*) Proleg. c. 45.

**) defendit id quoque in Annalibus p. 86.

***) L. II. Maccab. c. 1.

XIV

satis multae sint et diuersae opiniones *) nouam his addere, atque, vt defendantur quaedam in libris Maccab. verba, narrationes tot scriptorum reiicere, qui etsi dissentiant, in eo tamen conueniunt quod apud Parthos vicitus perierit, siue ab hoste peremptus fuerit, siue ipse sibi manus intulerit.

Ceterum notissimus locus est sub initium Lib. I. Maccab. quo Alexandrum M. morti proximum regnum inter amicos diuisisse adfirmatur, quum tamen id multos annos post acciderit. Quem quum pariter multo ex optimis scriptoribus de testamento Alexandri M. sermone studuerit vincire cel. FROELICHIVS ea tamen omnia nondum suo robore constare demonstratum est in *Actis erudit.* Lips. mens. Septemb. P. I. superioris anni p. 487. vbi simul optandum esse dicitur vt celeberrimi Viri excellentissimum ingenium et stupendus labor diuinoribus libris, quam illi Maccabaeorum sunt, adhiberetur.

Sed quantum hae patiuntur angustiae quibus contine-
mur satis nos de hac re attulisse credimus, in primis quum ea tantum mente id, quidquid est, operis a nobis fuerit suscep-
tum, vt alii, quibus maior cognitio historiae Syriacae est, inde se ad inuestigandum et quaerendum aliquid finant ex-
citari. Certe ego hoc vix dari posse existimo, vt libri Mac-
cab. tamquam fontes, ex quibus maxima Syriacae historiae

notitia

*) I V S T I N V S l. 39. c. 10. I O S E P H V S Antiq. l. 13. 8. in proelio occisum dicit AELIANVS de Anim. l. XLII. ex alto se praecipitem dedisse scribit, alii v. c. EVSEBIVS, APPIANVS aliter habent quos omnes adducit FROELICHIVS c. l. vbi maximam illam discordiam historicorum inde natam existimat quod DEMETRIVS II. fratr. AN-
TIOCHI turpissimam necem omni pacto celare studuisset et propter ea varios rumusculos de eius in oriente obitu quorum alii ab aliis historicis collecti sunt dididerit.

notitia hauriri posset, celebrentur. *) Sapientis enim est, quid res ipsa sit et quae ei necessaria sunt cognoscere, nec in indagando et tradendo vero laborem aliquem formidare.

Quam rationem quum ab eo tempore strenue seruauerim, quo priuatas scholas de optimis antiquae sapientiae capitibus habui, laetor, quod eandem nunc publice in aca-demia tam nobili, tam florente, tam copiosa continuare concessum fuerit, munificentia Serenissimi et Potentissimi Principis et Domini FRIDERICI AVGVSTI Polonia-rum Regis et Pr. Electoris Saxoniae, reliqua, Aliae nutricii be-nignissimi qua accidit, vt hoc tempore philosophiam et bonas litteras extra ordinem docere iussus fuerim. Istam prouinciam futuro Saturni die oratione quadam *de nexu historiarum cognitionis cum omni philosophiae ambitu* auspicabor. Quam ob caussam vt praefentiae suae beneficium nobis praestare ve-lint, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLV-STRISSIMOS COMITES, ET VTRIVSQUE REIP. PRO-CERES GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS ACA-DEMIAE CIVES qua par est obseruantia ei humanitate non tam rogamus quam obtestamur. P. P. Domin. XII. post S. Triados festum An. Dionys. CIC IOCC XXXXVI.

*) Ipse auctor posterioris libri II. Maccab. fatetur se vehementer errare posse cap. XV. 39. quumque tantummodo quae IASON olim con-texuerat in compendium se redigisse idem scribit c. XI. 24. fortasse multa praeclara omisit et res minus necessarias addidit. Cur itaque non ostendi posset multa ab eo vero contraria conficta fuisse.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

14 März 1989

III/9/280 JG 162/6/86

DR. H. v. S.

H. v. S.

